



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis  
Prædicatorum**

**Nicolaus <Eymericus>**

**Venetiis, 1607**

Summa seu institutum Secundae Patris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

SVMMA EORVM QVAE AB  
EYMERICO IN SINGVLIS  
DIRECTORII PARTIBVS  
TRACTANTVR.

Summa seu institutum Primæ Partis.



RADITVRVS Eymericus quæcunque ad negotium Inquisitionis contra hereticam prauitatem spectant, & quæ ad instruendos, ac dirigendos iudices violatae religionis exiguntur, ut munus suum in causis fidei plenè perfectèque possint adimplere, cum nequeant nosse causam hæresis, ad quam extirpandam sunt constituti, nisi probè intelligant quæ ex fide sunt credenda, & catholicas veritates, quibus hæresis opponitur: ideo in prima operis parte ea commemorat, quæ ad constituendam, & stabiliendam, seu (ut ipse loquitur) ad plantandam fidem pertinent, ut uno contrario cognito alterum facilius percipiat. Itaque ex varijs locis in unum locum confert, & summorum Pontificum, & Conciliorum, & Canonum, & Sanctorum Patrum, & legum decreta, ad fidem, & varios fidei articulos, & catholicas veritates constituendas spectantia, nihil ferme de suo apponens, contentus sola decretorum recitatione: unde primum congerit ex iure Canonico decreta titulorum de summa Trinitate, & fide Catholica, & ea occasione insignium quorundam interpretum expositiones super ea: inde leges ex Codice. rit. de summa Trinitate: inde suo ordine cætera eodem consilio. Postremo duodecim addit questiones, quibus satisfacit plurimis difficultatibus, quæ circa fidem fideique articulos contingere possunt, quas paucis additis, & mutatis, defunxit ex beato Thoma Aquinate.

Summa seu institutum Secundæ Partis.



Bsolutis in prima parte, quæ ad fidem constituendam attinent, explicat protinus in secunda quæcunque fidem ipsam corrumpere possunt ac violare, ut Catholici ab his abstineant; primum tamen refert uniuersa decreta contra hæreticos, & de pœnis eorum sancta, quæ in toto iuriis Canonici corpore sub titulis de hæreticis continentur: inde ex varijs etiam eiusdem iuriis titulis eodem consilio accumulat multas decretales, que etiam huic negotio deseruiunt: inde extrauagantes nonnullas, & litteras Apostolicas, quæ de hæretica prauitate coercenda edifferunt: addit præterea ob eandem causam insignium quorundam iuriis interpretum glossemata, quibus præcedentia de hæreticis decreta declarantur: inde proprius ad rem accedens, ex vetusto Concilio Tarragonensi fragmenta quædam commemorat, quibus agitur de multiplici hæreticorum generre, & vetustis pœnis, ac pœnitentijs eorundem: inde addit quæst. 58. quibus, quid hæresis, quid hæreticus, quid error sit, ostendit: rursus usque ad quæst. 38. multo-

rum

rum Philosophorum, & omnium fere hereticorum tam veterum quam recentiorum  
sectas, nomina, & errores recenset: tandem à quæst. 38. usque in finem eius-  
dem partis secundæ, singulari methodo de his omnibus sigillatim agit, qui Inquisitorum  
iurisdictioni subiiciuntur. Itaque de hereticis, de blasphemis, de sortilegiis,  
de inuocatoribus Demonum, de apostatis, & de ceteris huiusmodi accuratissi-  
mè differit.

Summa seu institutum Tertiæ Partis.

**V**M coercendi sint heretici, de quibus differuerat parte secunda, in  
postrema præxim docet, qua in officio Sanctæ Inquisitionis res fidei,  
seu delicta in fidem commissa tractari debeant, & puniri. Primum  
tamen quid Inquisitoribus de nouo creatis sit agendum docet: inde qua  
ratione processus initium accipiat, tradit; & quia tribus modis potis-  
simum in causis fidei procedi potest, per Accusationem, Denunciationem, & Inquisi-  
tionem, de singulis differit, & appositis exemplis illustrat: inde quomodo idem pro-  
cessus sit continuandus similiter indicat, docens quidquid ad personas in hoc iudicio  
requisitas spectat: inde modos tres decim singulares persequitur, quibus omnis causa  
heresis in Sancto Inquisitionis officio finiri potest. Tandem in fine operis 131. que-  
stiones proponit, quibus dirimit omnem fere difficultatem spectantem, vel ad iudi-  
cates violatae religionis, vel ad eorum potestatem, & iurisdictionem, & priuilegia,  
seu prerogatiua, vel ad ministros Sancti officij, vel ad peritos, & aduocatos, vel  
ad testes, vel ad reos, vel ad pœnas reorum. In his itaque partibus ita sunt ordi-  
nata traditaque omnia, ut nihil fere desideres ad Sanctissimum Inquisitionis offi-  
cium spectans; quod in hoc opere singulari non contineatur.

CATA-